

2K. 522, 21.

II n  
7087



2  
1  
JO



DE  
**VIRORUM**  
 QUORUNDAM DOCTRINA ET ERUDITIONE CLARIS-  
 SIMORUM ANIMI CHARACTERIBUS  
**BREVIS OBSERVATIO.**

QVA  
**V I R O**  
 PLURIMUM-REVERENDO GENEROSIS-  
 SIMO NEC NON DOCTISSIMO  
**D O M I N O**  
**JOHANNI CAROLO FRIDERICO**  
**â B R A U S E,**

PASTORI RADEFELDENSIIUM DIOECESEOS  
 DELITIENSIS  
 NUPER RITE VOCATO

**MUNUS SACRUM**

*CIRCITER FESTUM DIEM MICHAELIS ARCHANG.*

*M D C C L I V.*

INITUM

ANIMO PERAMANTE

GRATULATUR

**M. CHRISTOPHORUS MEISNERUS,**

*Cruciani Dresd. & Soc. Caritatis ac Scientiar. Collega.*

**FRIDERICOSTADII,**

EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERIANO.



DE

VICTORIA

GRONDIUM DOCTRINA ET PRINCIPALIA CLASSE

SIQVE ADIUTUM CLASSE

ETIENS OSSERTATIONE

DE

PLURIM

PLURIMUM ALIUM CLASSE

SIQVE ADIUTUM CLASSE

D. O. M. I. N. O.

JOHANNES ANTONIO FRIDERICO

3. P. A. U. S. E.

HABITUS INSTITUTUM DOCTRINOS

DEP. DE

DEP. DE

M. S. S. A. C. H. S. I.

CHRISTIANUS

M. S. S. A. C. H. S. I.

DEP. DE

ANNO 1818

CHRISTIANUS


M. CHRISTIANUS

CHRISTIANUS

CHRISTIANUS

CHRISTIANUS





Tam notus est libellus illius ob eloquentiam sic dicti Theophrasti Eresii de morum characteribus, quam qui notissimus. Ad cuius modum Bruyerius, Gallus, *Characteres de Theophraste* (a) edidit, in quibus principum personas sui temporis, eorumque mores finxit, ac lingua Gallica descripsit, veluti, Atheniensium mores inprimis, characterem olim insignivit Theophrastus Eresius. Eos absurdos vocat Gundlingius in Discursu, (quem barbare hodie vulgo dicunt) in B. Buddei Politicam p. 163. qui dictum Theophrasti libellum contemnunt, usumque potius se monstrasse scribit in Nova Bibliotheca Rengeriana P. XLVIII. p. 699. n. XIX. Editio Characterum horum Ethicorum omnibus fere præferenda videtur illa, quam curavit Cel. Petrus Needham Cantabrigiæ 1712. forma octava maj. Græce & Latine, cum notis, emendationibusque Iſaaci Casauboni & aliorum, quæ cum laude recensetur Pinacothecæ Novæ orbis eruditi T. III. Apert. XXX. p. 408. sqq. coll. observat. B. Buddei ad Abarban. Diss. de Princip. Abimelechi p. 141. sq. Scripsit & Lud. Molinæus, Petri filius, *Characteres morales*, sed non est magnæ rei liber, uti & ipse Patre ingenio & judicio fuit inferior, iudice Morh. Polyh. T. III. L. V. § 26. Nam Characterum (b) nomine hic nil, nisi descriptiones aut rerum, aut virtutum vi-

A 2

tio-

- (a) *Titulus hujus libri de la Bruyere hic est : les Caracteres de Theophraste, traduits du Grec, avec les Caracteres ou les Moeurs de ce Siecle.*
- (b) *Obiter hic monendum statuo, nos quidem hac occasione nonnulla de characterem indelebili, quem vulgo vocant Pontificii, dicere potuisse, utpote quem in Concil. Trid. Sess. VII. can. 9. sed ἀπὸ τῆς ἱεραφῆς, tamquam signum quoddam spirituale in tribus his Sacramentis, baptismo, confirmatione & ordine inprimi volunt : at enim vero D. Buddeus in Institut. Theol. Dogmaticæ L. IV. c. 1. p. 700. b. de hoc pluribus egit, quo Lectorem benevolum ablegamus. Adde C. E. D. Theolog. Casual. p. 186. ubi è Grotseri verbis elicit, vi hujus Pontificiorum characteris in-*

tiorumve venire, quæ ex actibus ipsis ita declarantur, ut instar exemplaris cujusdam atque personæ imaginis cujusdam esse possint, id unusquisque facile intelligit. Sic *hominis garruli characterem* eleganter expressit Horatius L. I. Sat. IX. uti & in Terentii Comoediis passim hujusmodi *χαρὰκτῆρισμοί*, (c) quos etiam ἠθολογίας h. e. *morum & affectuum* cujusque personæ effictionis

no-

delebilis etiam ordinationis Cleri Lutherani vigorem manere perpetuo, nec habere illos, quod tam effrenate semper calumniantur. Nobis sufficit character iste divinus humanæ menti impressus per Adæ lapsum quidem, si non prorsus extinctus, certe obnubilatus, est per lavacrum regenerationis solum opera salvatoris recuperatus. Neque multa dicturi sumus hic, quo sensu alias Græcorum *χαρὰκτῆρ* accipi soleat, e. c. si Pandectas sacras respicias, ubi nihil aliud, nisi ἰδιώμα & incomparabilem orationis majestatem libris & Vet. & Novi Fæderis propriam denotat, nec profano Græcorum sermoni posthabendam, qualis fuit Character ille Lyfiacus i. e. omnium facillimus, & verbis ἰδιωτικῶς, simplicissimaque verborum compositione constans, de quo pluribus disseruit J. H. Boeclerus in brevi Dissert. de lingua N. T. originali. Quemadmodum ob dicendi characterem tenuem quidem, at suavem, & in movendo commiserationis affectu virtute præcipua pollentem inter profanos Scriptores Simonidem celebravit Quintilianus Institut. L. X. c. 1. ita, ut quidam in hac cum parte omnibus ejusdem operis auctoribus præferrent. Quo sensu dicitur Justinus Martyr Apologiam ad Julianum scripsisse characterem philosophico, non historico. E Lexicis ceteræ *χαρὰκτῆρες* significationes petantur. Nos h. l. ut cuivis patet, solam descriptionis significationem amplectimur.

- (c) In animo habuit Nathan Chytræus, omnes Terentii Comoedias, notatis morum & affectuum characterismis, in lucem edere v. Morb. Polyh. T. I. L. 3. c. 9. §. 31. In Scripto quodam parvo quidem, sed satis ingenioso in 8. maj. quatuor plagulis Oxonii edito, & ita inscripto: Turnus an Drances: being an Attempt to shew, who the two real Persons were, that Virgil intended to represent under those two Characters, contendit Auctor, Virgilium sub persona Aeneæ Augusti characterem, sub Turni vero Marci Antonii characterem dedisse: Sic Drances ipsi etiam in Aeneid. L. II. Ciceronis personam sustinuisse videtur. Clariss. Jo. Sam. Pazke Hale 1754. 8. P. Terentii Comoedias Germanice haud infelici Minerva

nomine posses complecti, haud pauci inveniuntur. Nihil dico de Menandri Comœdiis, sed amissis, de quibus prædicat Quintilianus, quod in eis omnem vitæ imaginem expresserit, ita fuerit omnibus rebus, personis, & affectibus accommodatus. Instit. X. 1. De Velleji Paterculi in describendis hominum naturis singulari diligentia dant firmum & grave testimonium *Characteres Politici Vellejani* a Joh. Henr. Boeclero expositi. Neque minus laude dignum iudicavit Morhofius in Polyhist. T. I. L. I. C. XIX. §. 61. Janum Nicium Erythræum, seu, quod verum ejus nomen fuit, *Joh. Victorium Rossium*, sive, *Joh. Vincentium de Rubris*, ubi de Pinacothecis Viror. illustr. adversus malignam Maresii censuram hæc scripsit: *Optimus est labor, & quod potissimum est, characteres ἡθικῶν virorum doctorum magna cura proponit.* (d) Auctor anonymus Diarii litterarii, quod Lipsiæ coepit a. 1751. m. Febr. in lucem prodire sub Morum Præfecti (*Hofmeister*) titulo, haud infelici Minerva quorundam virorum characteres effinxit, neque humile neque plebejum quicquam præ se præferentes. Et si vel maxime quicquam e. c. in Bulingarii Characteribus P. V. Diarii, modum ac fidem veritatis excedere alicui videatur, id tamen ejus excusationi esse nonnulli credunt, quod, ut in comœdiis usu venire solet, ita etiam in ejusmodi paginis, multorum defectus haud raro singulis virorum personis tribuere liceat. (e) Optime characterem virorum eruditorum ex eorum Epistolis cognosci

A 3

sci

---

*redditas cum animadversionibus edidit, ac simul ostendit, Terentium communes virtutum & vitiorum pingere characteres, & a Plauto differre, ut Virginem bene moratam à puella vulgari.*

- (d) Hanc artem uniuscujusque eruditorum characterem non solum exprimendi, verum etiam alios homines quasi nativis coloribus depingendi intellexit Sam. Sorbierius, qui hac ipsa se adeo commendavit Mazarino Purpurato, ut stipendium ipsi annum numeraretur. Vid. Gundlingii Staaten-Discurs P. I. p. 611. Auctor anonymus in Judiciis de Eloquentia, Germanice Frstii. 1727. in forma 8va editis, & cum digna laude recensitis in Hamburg. Auszügen P. IV. p. 256. sqq. Serm. XVI. probe distinguit characteres in morales & historicos, simulque characteres aliquos communicavit. Huc trahi posset character ministri aulici, quem Tacitus Hist. L. III. c. 50. §. 4. quietam vocavit industriam. v. Seckend. Fürsten-Staat. Addit. ad C. VIII. p. m. 181. sq.
- (e) Lubet hic mentionem injicere Dissertationis illius Historico-Theologicæ, Præside Ven. D. Baumgarthio a Joh. Cph. Langio, Halberstadiensi Hale

sci docuit M. Hertel Nov. Act. Schol. Vol. II. p. 188. Hæc sufficientiam præmonuisse, qui hujus vel illius characterem vel incidenter delineant. Nunc ordine elementari disponere licebit, unius atque alterius characterem inter eruditos doctrina & scriptis clarissimos vel integrum describere, vel saltem liberos indicare, ubi copiosiora de iisdem sint legenda.

ALBER-

1751. *defensæ de mirabili fuga Jonæ Prophetæ, quæ hoc characterẽ Prophetam descripsit, quod fuerit vir omnem inanem formidinem pessundans, omnes super casus, incertosque humanarum rerum exitus, quibus mortalium animi pessime solent excruciarı, longissime evectus, eosque despiciens. Sed quomodo hic character causis fugæ recte respondeat, quando inter alia scribitur; eam ob causam potissimum Jonam cepisse fugam, quia veritus, ne a Spiritu Dei desertus turpiter se daret, vel adeo ignominioso funere exstingveretur, alii judicent. Cum hæc jam scripsissem, occurrit Venerab. Viri Quedlinburgensis Heinrici Meenii Character eines Pedantischen Gottesgelahrten, cui Tractatui cum D. Martinus Grulichius, Sup. Torgau. tecto nomine D. Macarii Gregorii in Epiphyllide I. & V. se opponeret nimis acerbe, modeste satis ille huic respondit Scripto alio, cui titulus: Der vertheidigte Character eines Pedantischen Gottesgelahrten 1751. 8. Istum secuta sunt plura Scripta hujus argumenti e. c. Friderici Caroli Moseri Epistola von der Juristischen Pedanterey, die Pedanterey im Kriege, Erfurti 1750. 8., der Schulfuchs, Lipsiæ, cujus descriptionem vero cum ipse oculis non usurpaverim, liceat hic monere, M. Herm. Jac. Lastum, Sch. Gryphiswaldens. Rectorem Celeberr. docto penicillo hujusmodi doctrinæ ostentatorem insulsum, qui Gallis dicitur un pedant, delineasse feliciter. v. Celeberr. Biedermanni A. und N. von Schul-Sachen P. I. p. 47. sq. Neque tamen oblitus est observare, hoc nominis non solis illis, qui in Scholis desudant, verum etiam aliis jure ac merito esse tribuendum. De Characteribus præterea Scholæ moderatoris una plangula in folii forma egisse M. Jo. Dav. Gschwendium, Rect. Sch. Eisenberg. idem Clariss. Biedermannus me docuit T. IV. c. 1. p. 249. & c. Neque silentio prætereundus est Character eines rechtschaffnen Theologi, quem vivis coloribus depinxit Prof. Simonetti. Sic Prof. Rintelienf. Frid. Gvil. Pestelius, cum munere Pro-Rectoris d. 17. Quinctil. a. 1750. abscederet & Professori Eskuchenio traderet Progr. in forma 4ta egit satis doctè de Characterẽ veræ virtutis; cujus recens. vide in Nov.*



ALBERTI, *Purpurati Archi-episcopi quondam Moguntini & Magdeburgensis*, Marchionis Brandenburgici character legitur Germanice in Msto quodam Anonymi, quod asservatur in Biblioth. Reg. Dresd. (v. Goezii Memorabil. ejusd. Collect. IV. Vol. II. No. XXXIX.) quem Latine reddere liceat, cum non sit ubivis obvius:

Hic pietatis veritatisque amans Dominus natus est a. 1490. d. 28. Junii, educatus à parentibus liberaliter, & ut par est, virtutibus principe dignis ac doctrina liberalium artium lingvarumque, quarum nonnullas calluit optime. Quo factum, ut animo esset alacri, sapientia & virtutibus præditus, erga benemeritos clemens, gratus atque beneficus. Vitia & peccata crassiora odio persequeretur & poena afficiebat severa, devitans omne pravorum confortium, inprimis mendacibus & calumniatoribus erat infensissimus. Adversam fortunam æquo tulit animo: erga exhortantes fuit longanimus, erga male animatos nec iracundus nec vindictæ cupidus, injuriarum facile potius obliviscens. Triplex hominum genus præter ceteros laudans honore adiciebat, nimirum, virgines castas, matronas honestas, pudicasque conjuges, deinceps doctrina & pietate claros Doctores ac tandem strenuos viros mulrumque in bello versatos. Hactenus anonymus Msti auctor. Animus ejus mitis ac facilis in condonando vel ex Responso ad D. M. Lutherum apparet luculenter, quod legitur Jenens. T. I. fol. 585.

AM-

*Litter. Gottingens. a. c. P. CXI. p. 186. sq. Veluti Andr. Schraderus, Rect. Schol. Lemep. Tremonia 4. edito Scripto probatum dedit, Animi sinceritatem eximium, uti uniuscujusque hominis, ita parentum in primis in educandis pueris, esse characterem. Præterea meminisse juvat, in Satyris plerisque, quod est χαρακτήριστικόν in hominum animis & negotiis, luculenter, & ad minutias usque depingi, ut mecum consentientem habeo Morhofium seu potius Mollerum Polyh. T. III. L. I. c. 1. §. 5. Saltem tempori præsentì convenire videtur, quædam de Characteribus conscribere, quo de variis variorum characteribus, varia scripta prostant, quorum feci mentionem. Et Celeb. Gotthilff. Aug. Hoffmannus Tremonia 1750. dedit Characterem Doctoris Scholastici boni, v. Nov. Act. Schol. Vol. II. p. 723. seqq. Neque silentio prætereundus est omnino Klopstockius, quem miris laudibus celebrat Cel. Refor. Guelpherbut. J. C. Dommerich, quod in fingendis personarum Characteribus, maxime in Messiadè, sit felicissimus. v. Cel. Biederm. A. u. N. von Schul-Sachen T. III. p. 83.*

AMMIANI Marcellini, celebris illius rerum scriptoris Latini Antiochia oriundi Character eleganter descriptus legitur T. XIII. Oeuvres du Mothe le Vayer, item in Memoires de Trevoux l'an 1713. art. 132.

ANTAGONISTÆ salutaris Reformationis tantum non omnes characteribus suis solitis insigniuntur in Henningi Pyrgalli, Hildefiani, Poëmate Lat. utut minus poetico spiritu animato, cui titulus: *Encomium aliquot virorum illustrum, hac lugubri tempestate catholicas veritates asserentium*, quod Lips. 1539. 8. impressum suppeditavit B. D. J. A. Fabricius Centifolii Lutherani Parte altera c. 81. p. 690. sqq.

Petri BEMBI characteres instar omnium descripti sunt à Joh. Casa, v. Bibl. Nov. Vol. I. p. 34.

D. Gio Paolo Simone BIANCHII character, tamquam communis Momi cujusdam totius generis humani describitur in *Scrittura de Dott. Gio. Girolamo Carli Sanese, intorno a varie Toscane e Latine Operette del Sign. Dott. Bianchi &c.* (Florentiæ in 8. 1751.) qui se nominavit etiam *Pietro Paolo Lapi, Marco Chillenio, Pietro Gbigi, Simone Cosmopolita, Giano Paolo Simone Planco, Giovanni Bianchi.* cf. Nova Literar. Lips. a. cit. No. LXII. p. 561. sq.

Bartholdi Henr. BROCKESII, J. U. L. Com. Palat. Cæs. & Reip. Hamburg. Senatoris, sanctioris Poëseos Auctoris olim Celeberrimi characterem effinxit modo amabili Paulus Schaffshausen, Log. Metaphys. ac Eloqv. Prof. & Gymnasii Hamb. Rector sub titulo: *Virtutes meritaque Viri Nobilissimi, Amplissimi cet. ib.* 1751. fol. Ubi præter cetera laude digna virtuti ejus hoc datur testimonium, quod ab omni morositate nimia longe remotus fuerit.

Christophori BULÆI characterem animi his verbis expressit Jo. Henr. Ernesti Orat. de Prof. poet. p. 38. In Bulæo animus intrepidus ostendebatur, & ad subeundos, tolerandos, superandosque publicarum privatarumque, quæ per provincias sæviebant, calamitarum casus constantia possessorem sui nunquam destituens cet. v. in J. C. Kochii Sched. de Pastorib. Paganis p. 18.

Angeli CÆSII characterissimum nobis jam depinxit Erythræus Pinacoth. III. num. 23. coll. Morh. Polyh. T. I. L. I. c. 14. §. 19.

Frid. Rudolph à CANIZ, illustris illius Mæcenatis Berolinensis characteris lineamenta vel prima decerpta invenies in Nachr. der Deutschen Leipz. Gesellschaft. P. II. p. 446. sq.

Tho-

Thomas CORAM, a. 1751. Londini ætatis annum agens LXXXIV. beate defunctus eo magis meretur, ut characteris ejus memoria prodatur posteris, quo rariora, etiam inter eruditos, sint exempla eorum, qui se suaque omnia pro salute proximi devovent. Ut jam nihil dicam de fundatione ista, quâ, nunc quidem cura & opera illius, infantes expositi aliorumque indigentiorum parentum liberi melius ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου educari queunt, jam vel hujus rei mentionem faciam honorificam, quod Scia-graphiam, præter institutum illud laude dignissimum, in Georgiam & Novam Scotiam mittendi colonos, etiam de instituendis Indorum Americæ Septentrionalis puellis in disciplina & moribus Christianorum, lingua Anglicana & reliquis sequioris sexus artibus ipsi debeamus. Verbo: character hujus viri hic erat. Hic Vir, cui par quisquam vix ponitur, summa ope se niti decere putavit, quo magis & patriæ salutem & gloriam ornare atque amplificare studeret quotidie. Hoc curæ fuit cordique, adeo, ut privato suo commodo posthabito non nisi amore in virtutem sanctam ac sinceram ductus se propterea natum existimaret, qui non ex genio seculi nostri honorum fame inexplebili vanos titulos captaret, sed potius nihil magis, quam criminationem de suscepto aliquo negotio, viro honesto ac Christiano indigno, quoad viveret, pertimesceret. Contra ea nullis obstaculis, quantacunque illa demum fuerint, a piis, aliis inserviendi, conatibus suis unquam absterreri potuit.

Thomam CRENIUM larvatus ille *Severinus de Clamoribus* ad vivum coloribus suis pinxit in Epist. pecul. Lugd. 1706. seorsim edita. Si quis autem nosse cupiat, quis auctor ille sit pseudonymus, is adeat Christ. Grundmanni *Ossa & Cineres* quorundam in rep. lit. a. 1717. defunctorum p. 69. sq.

DAVIDIS, Prophetæ illius Serenissimi characterem delineare annis fuit paucis abhinc annis A. C. Akenius in libello, cui titulus: *Glauben und Sitten Davids*. 8. Ubi non possum non, quin cum Plur. Rev. M. Im. Heinr. Kauderbachio, Geilingsium Pastore meritissimo doleam, Characteres Viro-rum extantiorum, qui in Sacris Pandectis occurrunt, & quorum Collectio in Relationibus Innoc. A. 1705. p. 850. sq. promissa est, lucem publicam (quantum ego quidem memini) nondum vidisse.

Jo. Christ. DIPPEN, larvato nomine Christiani Democriti haud incogniti character breviter descriptus legitur in Nov. Act. Schol. Vol. II. p. 846. quem

B

Latine

Latine reddere liceat. Vir erat non minus ingenii donis & sagacitate, quam animi acerbitate imbutus, nec destitutus ratione veritates divinas dolose risui dandi effrenatissima, qua ecclesiam Dei hoc periculosius invadebat, quo concinniora hujus vulpis Archilochiæ scripta fuerunt plena conviciorum cet. Vide characterem hujus Viri in B. Speneri Bedencken, coll. Freywill. Nachlese II. Samuel. p. 243. fq.

Henrici DODWELLI Character ex duabus Epistolis ejus ad Episcopum Salisbur. D. Burnetum datis, & post mortem auctoris demum editis haud obscure cognosci potest, quæ non sine voluptate legi possunt. v. Spicil. III. Biblioth. Renger. p. 254.

Inter specialiores Eruditorum characteres referre juvabit etiam generaliore eorum, qui Fortes Spiritus, Gallis *Esprits Forts* dicuntur, quem descriptum legimus in Diario literario, quod Halæ sub tit. *Hominis* a. 1751. Germanice per partes publicari cœpit, & virtutes Philosophicas & excitatum præ se ferens ingenium. Hic P. XXI. in scenam producitur unus ex illorum grege, ut tamquam homo ex ignorantia, fastu & stulticia quasi compositus cuivis esse videatur. Et ut breviter me expediam, dignus omnino, qui ponendus sit, ut canit Horatius L. II. Sat. III. v. 287. - - *secunda in gente Meneni*: in quo tamen simul conjuncta sunt malitia summa & inconstantia, ubi contumacia, & pro re nata, etiam invenitur animi anxietas.

Severi FUCHSII, Rectoris cujusdam, nescio, Scholæ Pomeraniæ, aut Prussiæ, optime meriti character legitur in Paullini Philos. Feyerab. p. 795. fq.

D. Adami Friderici GLAFEY, Consilarii Regio-Elector. Saxonici & Archivarii, Reichenbachio-Varisci, Character à Prof. Jenichenio in *unpartheyischen Nachrichten vom Leben und Schrifften der iztlebenden Rechtsgelehrten in Deutschland* describitur. Decessit morte repentina d. XII. Jul. a. 1753. Dresdæ.

Præfatio ab editore Fleischero bibliopola Francofurtano Poëmatibus Gallicis sub titulo *Poësies diverses de Mr. de GRECOURT* \* præfixa occasionem nobis præbu-

---

\* *Integrum auctoris nomen est; Joh. Baptista Willart de Grecourt. v. Nova liter. Jen. 1751. P. VIII. p. 66. fq.*

præbuit, ejusdem characterem communicandi. Hic stirpe generosa, utre ad inopiam redacta, ortus Turonii a. 1683. in patria jam annum agens. XIV. Beneficio Canonico affectus est. Qui cum ad pubertatem venisset, in Academia Parisiensi Scientias rerum gravissimas haud infelici successu pertractavit, adeo, ut Sacra ipsius Orationes editæ communi applausu dignæ judicaretur. Sed hujusmodi occupationibus diu non distinebatur, cum potius voluptati se totum traderet, utpote cujus affectus præcipui testimonia passim occurrunt, ubi poëtico suo ingenio magis abuti, quam uti solet, dum circa turpissimas cupiditatibus suis indulgentes actiones calamus postea versatus est. Ipse enim futura minus curans, nec ad præsens satis attentus, nil nisi vitiorum illecebras quærebat, ut voluptatum studio flagrare posset incredibili. Nec turpe putabat, sanctissima Christianorum dogmata fidei vertere in ludibria. Quin etiam cum Turonii d. ii. April. a. 1743. vitæ finem faceret, nihil magis eum excruciare videbatur, quam quod in voluptatum cursu longius progredi non liceret. Solius ambitionis, amorisque habendi divitias hospes ac ignarus esse videbatur. \*\*

Martini HANCKII, Vratislav. animi character, quem ipse calamo exaravit, & editores Pinacothecæ Novæ orbis eruditi Apert. XXXI. T. III. p. 493. sq. inferere dignum judicaverunt, tamquam rarum & bene compositum fragmentum, ut vocant, (*une bonne & rare piece*) l. c. ita inscribitur: *Martini Hanckii Character Animi sui.* Uti se ingenuæ simplicitatis naturalisque libertatis amatorem vehementissimum inter alia profitetur; ita etiam dixit, se solerter invenire potuisse modos, *quibus & vera dissimularet, neque tamen falsa proferret.* Exemplum hujus vide l. c. T. II. p. 658.

George HOOPERI, Episcopi Angli characterem dabit Inscriptio Monumenti ejus Sepulchralis, quæ legitur sub finem no. V. Partis XVII. der Hamburg. Auszüge p. 379. & 380.

M. Christianus JUNCKERUS, Dresd. cujus characteres eleganti scripturæ genere, tecto tamen nomine *Chariffii ab Amicis*, delineati leguntur in Encomio in ipsius memoriam à Societate Carit. & Scientiar. Schleusingæ edito p. 29. sq. Quod vero cum non in omnium versetur manibus, licebit

---

\*\* M. Jo. Ern. Grabii character animi minus constantis expressus legitur in Novæ Pinacoth. orb. erud. T. II. p. 220. sq.

illius characterem huc transcribere, & cum L. B. communicare, uti etiam omnino meretur.

„ Singularia dona Cl. JUNCKERUS beneficio naturæ acceperat; quæ non solum  
 „ studiosa opera conservavit, sed auxit quoque, atque reddidit splendidio-  
 „ ra. *Corpus* erat robore validum & eleganter formatum, adeo ut hæc  
 „ exteriora munera cum aliis mentis virtutibus conjuncta conciliaverint  
 „ ei mirificam auctoritatem. *Animus* ejus nituit splendore cum quod ad  
 „ intellectum, tum quod ad voluntatem attinet. *In intellectu* vigeabant præ-  
 „ cipue *ingenium & judicium*, quamvis *memoria* non penitus destitutus  
 „ fuerit. Vestigia excellentissimi ingenii sui in monumentis adparent,  
 „ quæ stilum fluidum, faciliorem, amoenum præferunt; adparet in-  
 „ genium quoque ex methodo, quam in docendo & scribendo observa-  
 „ vit; illa quippe jucunda & suavis fuit; adparet ingenium ejus ex sin-  
 „ gulari prudentia, quam per omne vitæ spatium in omni actionum ge-  
 „ nere fuit sectatus. Prudentiæ autem maxima vis posita est in ingenio.  
 „ Qvum in literis historiarum diligens versatus sit, non minus coluit &  
 „ perpoliuit vires memoriæ. Quod ad animum *f. voluntatem* attinet,  
 „ *temperamentum ejus* fuit cholericum-sanguineo-melancholicum. Fuit  
 „ *cholericum*: Hinc fuit delicens; officiorum erga alios studiosissimus;  
 „ satis beneficus; iræ interdum deditus; laudibus delectatus est: *fuit san-*  
 „ *guineum*: voluptas est varii generis; in Junckero nostro eminebat præ-  
 „ cipue *voluptas intellectus*, & *voluptas animi seu amica*; Hinc nihil  
 „ magis coluit, quam societatem amicorum, cum quibus *interposito usu*  
 „ *herbe Nicotiane* multum transegit temporis; gaudium suum facile prodi-  
 „ dit verbis & gestibus: constans fuit in amore; *delectabatur Musica*,  
 „ *qua arte ipse excelluit*. \* *Melancholica species* erat exiguis viribus. „  
 Hæc ille.

Levini Leopoldi KOEPPENII, postea *Procopii* nomine clari Rectoris Prenzlav.  
 meritissimi animi & officii Character tritissimo illo Disticho, quod Sym-  
 boli loco semper in ore habebat, inclusus legitur:

\* *Esto*

\* *Citharizare enim & cantare ad chordarum sonum in primis doctus sepius  
 animi dolorem lenivit, præsertim eum, quo morte Conjugis affectus  
 fuerat, ut recte de illo dici potuerit quodammodo que de Orpheo cecinit  
 Virgilius Georg. IV. 464. sq.*

\* *Esto scholæ Rector, de pectore fortis ut Hector,  
Ut Jobus patiens, utque Sibylla sciens.*

Plura dabit Cel. D. G. Venzky in vita Procopii, quæ legitur in Cel. Biedermanni A. in N. von Schul-Sachen T. IV, p. 237. sq.

D. Guil. LAUD, Archiep. Cantuariensis illius famigeratissimi characterem Historicus quidam (quem vocat B. Ant. Guil. Boehmius in Hist. Ref. Anglic. Germanica p. 793.) Episcopalis ita expressit brevissime; *quod, præter πολυπραγμοσύνην, cui apprime studuit, plus aceti semper, quam olei censuris suis immiscuerit.*

Johannes LOCKIUS, Anglus, Philosophus summus majori jure appellandus, quam Medicus. Hujus viri plane incomparabilis characterem dedit Vener. D. Heumannus Act. Philos. Vol. I. p. 1023. - - 1031. Cui, cum legem, non potui non, quin hæc verba adjicerem: *ô plane incomparabilem virum, cumque Christianum vere talem!*

Joh. Dan. LONGOLII Character animi breviter, ac perbelle delineatur Ob. Lausitz. Beytrag Vol. III. p. 159. sq. ubi nos sine fuce fateri possumus, quod, cum nos ejus descriptionem legeremus, vivum nobis exemplar patruelis ejusdem Doctissimi M. Pauli Dan. Longolii, Rectoris Gymnasii, quod Curia Regnit. floret, Longeceleberrimi, amici nobis inde à Schola & Academia conjunctissimi in mentem venerit.

D. Martinus LUTHERUS, \*\* Magnus ille veritatis Evangelicæ Vindex & restaurator;

B 3

*Ipse cava solans agrum testudine amorem.*

*Te dulcis Conjux; te solo in littore secum,*

*Te, veniente die, te, decedente canebat. Sed mox tamen ipse feбри correptus à dolore superatus die XIX. Junii, (cum ejusd. uxor d. XIV.) 1714. diem pie obiit supremum.*

\* *Hæc tria Rectoris Scholæ requisita quæ sunt, scil. Fortitudo, patientia & eruditio Magnif. noster Ephorus D. Jo. Joach. Gottl. am Ende a. 1752. in sollempni actu introductionis sermone terço ac nitido descripsit.*

\*\* *cf Fabricii Centif. Luth. p. 398. sq.*

tor; si quisquam alius, certe hic meretur, ut ejus character plane Heroicus nativo colore, quod dudum cum omnibus piis ac sinceris veritatis dictæ confessoribus in votis habui, depingeretur. Nunc tandem voti compos factus gaudeo duce Anonymo quodam, qui occasione sibi à Gallo Voltaire oblata, in *Lettre au sage & au peuple* finistre de B. Lutero & Calvino judicante, eidem opposuit *Lettre à Mr. de Voltaire contenant un Essai sur le caractère du D. Martin Luther & de sa Reformation* Hamburgi 1750. 8. Dabimus igitur ichnographiam characteris hujus Herois; erat is animo præditus admodum alacri, qui Heroëm decet. Magnanimus fuit, hinc minus capax parvorum consiliorum, utpote cujus consilia multo profundiora tendebant ad practicam quandam mundi mutationem, quam sensit ipsa Romana tyrannis hierarchica, contra quam, opera infracti ejus animi, Reges & Principes eidem subiecti vel inde ex illius temporibus non solum omnem suam potestatem in dictam Hierarchiam longe felicius, ac antea, exercere didicerunt, verum etiam nunc demum excommunicatione à sede Romana reformidanda quondam perterriti contremiscere desierunt. Nam & dictis & tot scriptis plane aureis, quin ipsa praxi, prærogativas dominantium ita suffulsi, ut & ipse primus fuerit, qui se ea, qua par erat, observantia illis subjeceret. Ipse Erasmus, & Besnier, Lojolæ socius, quin etiam, quod maximum est, ipse summus Romanorum Imperator Carolus V. non potuerunt non, quin ejus Divina dona & agnoscerent & admirarentur. Taceo, quantum boni præstiterit hic tam animosus Heros abrogatis tot millibus cœnobiis, qua abrogatione vel sola hominum genus multis millibus auctum est. Sed ò quam plura dicenda restant de fide ipsius Heroica ceterisque donis, quæ vix ac ne vix quidem satis æstimari possunt. Ohe jam satis est! Sed vid. Treueri Dissi. de charact. animi Lutheri Helmstad. 1717. publicata.

Philippi MELANCHTHONIS characterem depingit Joach. Camerarius in Narratione de illo §. XVII. sq. coll. Ge. Frid. Stieberi Hist. Theol. Dogmat. p. 91. sq.

Jacobi OZANAMI Characterem leges in Galli illius Bordelonii lib. cui titulus: *Caractères naturels des Hommes*, p. 86. coll. Stollii Animadvers. Germ. ad Heum. Consp. Reip. Lit. p. 492.

Charlottæ Catharinæ PATINÆ Characterem ethicum debemus Joh. Frid. Christio teste Stollio Anmerk. über Heum. Viam ad Hist. Lit. p. 583.

PLUTAR-



- PLUTARCHUS, Chæronensis ille Philosophus ipse in libro *de Superstitione* (quem Mr. le Fevre Gallica civitate donare dignatus est) Characterem suum delineavit, ita ut ne vitia quidem sua reticuerit. v. Gerberi Unerk, S. T. III. p. 1269.
- Petri POMPONATHI, Mantuani, Character colligi potest ex Numismate quodam in ejus memoriam cuso, quod rarum est, & Bononiæ asservatur, sed à M. Jo. Theoph. Oleario in *Diff. pecul. Jenæ habita representatur*. Quam si quis non possideat, adeat Novæ Pinacoth. orbis literati T. I. p. 411. sq.
- Caspar SALVIANUS, homo ad amicitias & familiaritates eruditorum totus factus: hujus characterem graphice depictam dedit Erythraeus, vel quod magis verum ejus nomen est *Julius Victorius Rossus* Pinacoth. I. num. 14.
- D. Samuelis SCHELWIGH, Lissa-Poloni, characterem Perillustris quidam Summi cujusdam Principis Minister ad Senatorem quendam Gedanensem Gallice scriptum dedit a. 1715, quem legere possumus Novæ Pinacoth. orbis literati T. IV. p. 826. sq.
- Joh. Adami STEINMEZII, Abbatis Coenobii Bergensis Summe-Venerandi character ex epistola ad Zinzendorffium Comitem d. 5. Dec. 1746. missa luculentissime apparet, quæ legitur in Mutuo Congressu (*Entrevüe*) primo cordati illius Viri Alexandri Volckii p. 125. sq. Elucet enim inde Candor Theologi Cedro dignissimi plane incomparabilis, modestia continua, ingenua veritatis confessio, masculus in detegendis erroribus animus, una cum virorum antiqua fide ac virtute præditorum defensione candidissima.
- Henricus STEPHANUS II. Roberti I. filius, Henrici I. nepos vir fuit aspera & difficillima natura, omnibusque iniquus, malevolus, superbus sibi que Suffenus quam maxime, qui tamen de Lingua Græca tam bene meritus est, ut ipsi propterea non possit inuri ignominia. v. Pinacotheca Nova orbis eruditi T. I. Apert. X. p. 736.
- Lælii & Fausti SOCINI Character delineatur im Hess. Heb.-Opffer T. I. P. II. p. 129. sq.
- D. Jonathan SWIFT, cujus characterem si quis nosse velit plane singularem, is legat John Carl of Orrery XXIV. Epistolas patris ad filium Oxonii optimis studiis deditum datas, quæ Londini in 8. 15. plag. sub tit. *Remarks on the Life and Writings of Dr. Jon. Swift &c.* prodierunt, coll. Nov. Liter.

Liter. Lipf. a. 1752. n. 99. Sed V. annos ante, quam a. 1745. sub fin. mens. Octobr. diem obiret supremum, ratione sana privatus lingvæque usu propemodum obbrutuisse dicitur.

Joh. TAULERI Characterem in compendio exhibet Auctor Epistolæ de Principiis & Characteribus Mysticorum, in P. Poireri Bibliotheca Mysticorum selecta p. 108. cf D. Buddei Institut. Mor. Prolegom. §. XXXI. p. 21.

D. Alb. Meno VEERPORTENIUS, Gothan. coloribus suis, h. e. admodum eximiis, ut omnino meritus est, & ad vivum pictus legitur in Cel. Biedermanni A. u. N. von Schul - S. T. II. p. 312. sqq.

Justus VONDELIUS, Poëta inter Belgas celeberrimus, Guil. Saldeno in Otiis Theologicis p. 417. audit *homo horarum omnium*. Satis dixit!

Nic. L. ZINZENDORFFII famosissimi istius Comitæ characterem si cui volupe est legere, is adeat jam citati Volckii *Mysterium malitiæ Sectæ Herrnhuthanæ* revelatum, VI. mutuis congressibus distinctum, aut in compendio *Entre-viæ* I. p. 136. (†) Nescio an eum aliquis Μελαπιδην, ἢ Κορσιβδον alterum esse putaverit. Ως ἐν ἐπιτομῇ, seu, ut Galli loqui amant, *en mignature* affabre satis depinxit eum, ejusque characterem expressit Poëta quidam sequentibus duobus Distichis:

*Non sana, an malu mens sit Zinzendorfia, lis est:  
Accusat caput hic, cor facit ille reum  
Indicat ex vero, qui dicit: Utrumque laborat:  
Nam ratione caput, cor pietate caret.*

v. D.

---

(†) *Nec minus etiam in D. J. Leonh. Froereisenii Epistola Argentorati d. 23. Jan. 1741. ad eum data legitur in Relatt. Innoc. a. cit. p. 158. Additament. In faciem enim (ut taceam cetera.) pronuntiavit: Entweder Sie sind der größte Phantast, oder der größte Impostor von der Welt, oder vielleicht beydes &c.) Aliis coloribus, nec tamen pulchris, depinxit eum Conr. Weiser, magistratus in Pensilvania in peculiari Epistola ad Pastorem Philadelphia, Brunholzium, data d. 16. Febr. 1747. quæ legitur in Anonymi Diar. Herrenbuthano P. VII. p. 708. sqq. in primis p. 724. sq.*

v. D. Heum. Diss. de Interpretatione V. locor. N. T. obscuritate insigni-  
um, quam Gottingæ habuit a. 1750. in Additamentis.

Si quis vel horum perpaucorum Virorum exempla paulo curatius pensitaverit, is deprehendet sane, quam vere dixerit Cicero offic. L. I. 30. *Ut enim, inquit ille, in corporibus magnæ dissimilitudines sunt (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere, itemque in formis, aliis dignitatem inesse; aliis venustatem) sic & in animis existunt etiam majores varietates.* En! igitur summam omnifipientis & omnipotentis Creatoris, ut in rebus creatis suis omnibus, ita in hominibus præsertim sapientiam, quam neque Cicero cognovit, neque quisquam ethnicorum cognoscere potuit alius. Anteqvam vero Colophonem huic opellæ qvalicunqve addamus, restat, ut L. B. moneamus *in genere Characteres des Auteurs Anciennes & Modernes* exposuisse anonymum quendam Amstelod. 1702. in 12. quem prævit P. Dan. Bartolus, Italus Libro suo *de Literatis, eorumque virtutibus & vitiis*, Italice conscripto, & a P. Lud. Jannino in Latinam linguam converso cum hoc titulo: *Character hominis literati* Lugd. a. 1672. 12 teste Morh. Polyh. T. I. L. I. c. XVI. §. 67. Huc spectat etiam *Character Christiani & Aulici boni*, quem utrumqve auctor anonymus ad modum Theophrasti descripsit: prodiit libellus Frfti ad Moen. 1752. in 8. Cujusmodi morales Descriptiones XXXV. Eruditorum characterificas Erfurti edidit M. Naumannus, 1752. in 8. pl. 9. Vide etiam Sciagraphiam opellæ *de Biblicis Characteribus* in Relat. Innox. a. 1705. p. 850. sq. *Speciatim* vero si quisquam hujus vel illius viri docti characteres delineavit e. c. Dannhaueri, Buddei, Wernsdorffii, D. V. E. Loescheri, multorumque aliorum, certe B. Reimmannus hoc præstitit in Catalogo Biblioth. Uti enim *D. Christ. Gotthold Schwenckius* a. 1753. Dresdæ magno judicio exaratum dedit *Characterem Medici* (cujus præcipui colores sunt *religio, conscientia, doctrina, & rerum naturalium cognitio*) ita etiam in rebus politicis *Bohun* Elisabethæ Angliæ Regiæ characterem, ejusque ministrorum tradidit in Libro, cui titulus: *Le Caractere de la Reine Elisabeth & de ses principaux Ministres d'Etat, avec la Maniere de son Gouvernement tant dans l'Eglise, que dans d'Etat. Traduit de l'Anglois*, teste Gundlingio *im Staaten-Discurs*, P. I. p. 540. Gallica femina nobilis quædam *de Puiffieux*, sed erudita, edidit Parisiis in 8. *Les Caracteres*, utut Londinum in titulo legatur: sed fallitur is, qui se ibidem Characteres *Theophrasti* cujusdam aut recentioris Scriptoris *Bruyereii* reperitum existimat, si quidem ipsi vocab. *Characteres* idem est ac *Maximes*,

mes, *Pensées, Regles* cet. William Sukeley, D. M. Rector Eccl. S. Georgii & Collegii Medici Socius, ut & Societatis Londinensis Collega edidit Concionem in 4to. *The Heanling of Diseases, a Character of the Messiah &c.* Vide iudicium de illa in Hamburg. iudicii liberis a. 1751. P. VIII. Nec silentio præterendum putamus, quod isti Scriptores morales sint peritiles, qui doctrinam moralem tractaverunt *characteristice*; quo genere scripturæ maxime in Scriptis suis usus fuit B. Schuppis. (\*) Huc spectant præter jam recensita Scripta Lud. Molinæi *Morum Exemplar s. Characteres*; Edonis Neuhufii *Theatrum Ingenii humani*; Joh. Barclaji *Icon Animorum*; Galli illius de la Champ *Characteres Affectuum*; neque minus Jos. Halles, Episcopi cujusdam Anglicani *Characteres Virtutum*, qui Germanice redditi etiam leguntur sub titulo: *Kenn-Zeichen der Tugenden*. Item, Jo. Adr. Schmidii, Abbatis Mariæ-vall. Tr. de *Characterere dubitationis moralis*. Quibus addi merentur *Caracteres naturels des Hommes* par Mr. Bordelon à la Haye 1692. 12. Neque minus Dan. Frid. Jani, Con-R. Budiff. *Characteres Sapientie*, Lipsiæ 1729. 8. 8. plagulis constantes. M. Ant. Fridericus Büschingius vero in *Nova Orbis Descriptione* (nuper Hamburgi in 8. edi coepta) dubitavit, totas nationes quasi apposita nota insignire (id quod Græcis *χαράκτιρισεν* dicitur) his potissimum inductus rationibus, quod nimirum id facere res sit tam difficilis, quam incerta, atque insuper *minus recto stet fabula talo*, ut cum Horatio loquamur, animumque partibus insectum sapiat. Occupet extremum scabies, Laur. scil. Forerum, cum VII. suis Lutheri Characteribus reformatiis, sed maxime, ut solent isti homunciones, contumeliosus, Dillingæ 1628. 8. in vulgus editis. Quam ob causam etiam eum B. Fabricius Centif. Luther. p. 927. inter B. Lutheri obtrectatores commemoravit. Quorum is ipse *secundum & tertium*, nimirum quod contemtor corruptorque Sacrar. literar. nec non Symboli Apostolici falsarius fuerit p. 465. & 466. & p. 470. *septimum* memoravit, quasi conculcator Patrum Ecclesiæ, Conciliorumque ac piæ fuisset Antiquitatis. Cognosces, Lector, ex ungue Leonem! Sed hæc sufficientiant! Nunc mea se ad Te convertit oratio,

*Vir Maxime - Reverende, Generosissime nec non Doctissime,  
Amice plus quam Pyladea caritate amplectende!*

Eqvidem nescio, utrum *generosam stirpem*, qua natus es, an vero *pietatem non fucatam*, quam colis, aut *solidam eruditionem*, quam calles, magis mirari debeam.

(\*) *Hujus Scripta sola, præter Biblia sacra, in carcere secum habuit infelix ille, sed nunc maxime felix & æternum beatus D. Christianus*

am. Et nisi jam ante amicus summopere mihi Colendus Pl. I. Rev. Pastor Prato-  
Vallensium Dignissimus *Immanuel Benjamin Kempe* a. MDCCXXXVII. scripto  
publico in honorem Generosissimi Dni Rud. Frid. de *Wichmannshausen*  
*Honestum Sacri Ordinis cum Equestri Connubium*, ut solet, solide ad oculum de-  
monstrasset, idoneam sane nunc nactus essem occasionem ostendendi, nil minus  
offendere *Characterem persone Tuæ generosum*, quam qui animum jam tum,  
cum disciplinæ meæ qualicunqve traditus fuisses, ad sacrorum literarum studi-  
um applicaveris quam diligentissime. Deus O. M. omnino adfuit etiam piis  
conatibus, ita, ut, cum à me in Illustrem Scholam Portensem a. MDCCXLII.  
una cum fido Achate *Jo. Aug. Ottone, Dresdensi*, nunc quidem Juris Practico  
in patria Consultissimo, migrares, magis magisque hunc animum adversus com-  
plures firmares feliciter, qui hanc occupationem nobili genere prognatis esse de-  
decori perperam judicent; cum potius eadem eosdem magis nobilitet, teste jam  
commemorato Kempio, aliisque, quos citavit Anonymus in *Postillen-Reuter*  
p. 56. sqq. Quid igitur mirum? si Summum Numen Div. postea secundaverit  
adeo studia Tua Academica, ut jam nunc usum fructumqve ex iisdem capere pos-  
sis, ubi Regia pariter Clementia Regisque Procerum favore summo auctus *Pa-  
stor Radefeldensium*, Ephor. Delitienf. rite vocatus in locum Max. Rev. Gene-  
rosisque Dni *Jo. Dan. Sertorii à Riedenau*, Teschenensis Silesii succedere  
jussus fueris. (cf. *de hoc Presbyter. Saxon. T. I. Sect. II. p. 656.*) En! *Characterem*  
etiam hic! Sed vides quoque in hoc, quam longe nobiliter duxerit hic ipse  
*ερατεία*, (quam Ebraei *נצח* vocant, & eandem vocem vocisque etymon de  
*administratione Cultus Levitici* usurparunt, docente Ven. D. Walchio de *Apo-  
stolorum militia* ex 2. Cor. X. 4. 5.) *τάδε ὄπλα τῆ θεῶ δυνατά*, quam  
quidem *τὰ σαρκικά*. Eja igitur, macte ulterius virtutis, macte animi, ut in  
hoc Tibi a Deo concredito docendi munere, fortiter *Te*, ac strenui militis,  
aut *Equitis vere generosi* instar geras, *ὡς ἕτερος ὁ Τιμόθεος*. Sic enim ne-  
que in hoc, neque in altero illo sæculo *εὐγενείας ὑφ' ἀγίας τῆς εὐταξίας*  
*ζευχθείσης* umquam Te pudebit, aut poenitebit. Faxit Deus feciliter! Hoc  
unicum adhuc abs Te petere liceat, ut & hanc meam qualemcunqve scripti-  
unculam, æqui bonique consulas, & me ulteriori Tuo favori commendatum ha-  
beas. Vale Deo commendatus! Dab. *Dresdæ Ipsis Id. Septembr. MDCCCLIV.*


*Krumbholzius, M. Christ. Clodii, Rect. Zwickav. Clarissimi consobrinus.*  
*v. A. u. N. von Schul-Sachen, P. I. p. 174.*

7087  
AK Th 7087

(X262592)

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a list or index of names and titles.]*







Q. 522.

B. m. II, 462.

DE  
VIRORUM  
QUORUNDAM DOCTRINA ET ERUDITIONE CLARIS-  
SIMORUM ANIMI CHARACTERIBUS  
BREVIS OBSERVATIO.

QVA  
V I R O  
PLURIMUM-REVERENDO GENEROSIS-  
SIMO NEC NON DOCTISSIMO  
D O M I N O  
JOHANNI CAROLO FRIDERICO  
â B R A U S E,

PASTORI RADEFELDENSII DIOECESIOS

DELITIENSIS

NUPER RITE VOCATO

MUNUS SACRUM

CIRCITER FESTUM DIEM MICHAELIS ARCHANG.

M D C C L I V.

INITUM

ANIMO PERAMANTE

GRATULATUR

M. CHRISTOPHORUS MEISNERUS,

Cruciani Dresd. & Soc. Caritatis ac Scientiar. Collega.

FRIDERICOSTADII,

EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERIANO.

